

**LXX** qualis habetur etiam Matth. II. Pauperes eu-  
angelizantur, id est, pauperibus euangelizan-  
tur. & I. Timoth. I. Secundum Euangeliū, quod creditum est mihi; nam in Græco ad  
verbū est, quod creditus sum, sed Interpres  
mutauit phrasim Græcam, quam reliquit  
Matth. II. Itaque non est sensus, annunciatu-  
tur Domino generatio ventura, id est, adscri-  
betur Domino generatio ventura, sed an-  
nunciabitur de Domino, sive Dominus ge-  
nerationi venturæ. Quod colligitur tum ex  
Hebræo, vbi habetur, laddor, id est, genera-  
tioni; tum quia idem repetitur, vel declara-  
tur in sequentib[us] verbis, de more Dauidis,  
Annunciabunt cœli iustitiam eius populo,  
qui nascetur. Idem enim est, generatio ven-  
tura, & populus qui nascetur. Annunciatu-  
tur ergo Dominus generationi venturæ, quia  
annunciabunt cœli, id est, cœlestes homines  
iustitiam Dei populo, qui nascetur. Vocatur  
autem iustitia Dei, iustitia Fidei, quam Deus  
donat gratis credentibus in Christum, quæ  
ve[n]e facit homines iustos. Hoc enim præci-  
pue docuit Euangeliū, omnes esse pecca-  
tores, nec posse viribus proprijs iustificari, sed  
a solo Deo per Christi Fidem veram iustitiā  
expectandam. In Hebræo non habetur ge-  
nerationi venturæ, sed post nomen genera-  
tioni, habetur interpunctio, ac deinde ver-  
bum, venient, quod coniungitur cum se-  
quenti, & annunciat. Cæterum Septua-  
ginta Interpretes non habuerunt illam in-  
terpunctionem post nomen, generationi; &  
verbum, venient, legerunt in singulari, ve-  
nient, ac proinde recte legerunt, generationi  
quæ veniet, id est, generationi venturæ. No-  
men, cœli, cum dicitur, annunciat cœli,  
non habetur in Hebræo, neque in Græco  
textu, sed Latinus Interpres addidit explicati-  
onis gratia. Et legitur hæc vox, cœli, apud  
S. Hieronymum, & S. Augustinum in com-  
mentario huius Psalmi, sed non legitur à  
Theodoreto, & Euthymio Græcis scriptori-  
bus, quia (vt diximus) vetus Latinus In-  
terpres eam addidit. Illud, quod habetur in  
fine, quem fecit Dominus, significat, popu-  
lum istum noui Testamenti, peculiarem  
esse Dei populum, ab ipso Deo propriè rege-

neratum, & creatum in Christo in operibus  
bonis, vt dicit Apostolus ad Titum. Similia  
est sententia in Psalmo 117. Hæc dies, quam  
fecit Dominus.

## PSALMVS XXII.

## Titulus, &amp; Argumentum.

Psalmus Dauid.

**T**itulus indicat auctorem Psalmi fuisse  
Dauidem: argumentum vero Psalmi  
est eximia Dei benevolentia erga  
Electos.

## EXPLICATIO PSAL. XXII.

**D**ominus regit me, & nihil mihi L  
deerit, in loco pascuæ, ibi me col-  
locavit.

In hoc Psalmo describitur felicitas electo-  
rum Dei per similitudinem ouium, quæ ab  
optimo aliquo pastore reguntur. In eorum  
persona Dauid, qui unus erat ex illis, dicit,  
Dominus regit me, nihil mihi deerit, quasi  
dicat, ouicula Dei sum, & quia Deus pastor  
est potentissimus, sapiensissimus, & optimus:  
ideò confidenter dico, nihil mihi deerit. Hæc  
vox est hominis felicissimi in via, & in spe.  
Nam Beati in patria, & in re, non dicunt, ni-  
hil mihi deerit; sed nihil mihi deerit. Si qui-  
dem fugit ab eis labor, & dolor, & iam in-  
trauerunt in gaudium Domini sui. at Beati  
in via, & in spe non possunt dicere, nihil mi-  
hi deerit, cum sint obnoxij multis passioni-  
bus; sed recte dicunt, nihil mihi deerit, quia  
si esurierint, non deerit panis; si ægrotauerint,  
non deerit medicus; & sic de ceteris. Porro  
vox illa, regit, in Hebræo, & Græco textu  
propriè significat, pascere, & idcirco sensus  
est, Dominus regit me pastorali modo, sicut  
pastor regit ouiculas suas. Quod autem dixit  
in summa, nihil mihi deerit, declarat per  
partes in sequentib[us] verbis. Videntur autem  
hæc esse, quibus ouiculæ egere solent, primo,  
pascua pinguia; secundo, aquæ puræ; tertio,  
vt reducantur, si forte errauerint; quartò, vt  
ducantur per commendas vias; quintò, vt à